



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avreus Adversus profanas Hæreseōn novationes**

**Vincentius <Lerinensis>**

**Coloniae, 1652**

Patrum consentientes sententiæ, quantæ sint auctoritatis. Caput XL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55177)

urum consentientes sententia, quare  
ta sint auctoritatis.

## CAPUT XL.

Quorum beatorum PP. sanctum  
Catholicumque consensum, ne  
quis sibi temere forte contemnen-  
tum arbitretur, ait in I ad Corinth.  
Apostolus: Et quosdam quidem po-  
nit Deus in Ecclesia, primum Apo-  
stolos, quorum ipse unus erat: secun-  
do Prophetas, qualem in Act. Apost.  
legimus Agabum: tertio Doctores,  
qui tractatores nunc appellantur,  
quos hic idem Apostolus etiam Pro-  
phetas interdum nuncupat, eò quod  
per eos Prophetarum mysteria po-  
pulis aperiantur. Hos ergo in Eccle-  
sia Dei divinitus per tempora & lo-  
ca dispensatos, quisquis in sensu Ca-  
tholici dogmatis unum aliquid in  
Christo sentientis contempserit, nõ  
hominem contemnit, sed Deum: a  
quorum veridica unitate ne quid  
discrepet, impensius obtestatur idem  
Apostolus, dicens: Obsecro autem  
vos fratres, ut id ipsum dicatis om-  
nes

nes & non sint in vobis schisma  
 sitis autem perfecti in eodem sententia  
 & in eadem sententia. Quod si  
 ab eorum sententia communi  
 desciverit, audiet illud ejusdem  
 stoli: Non est Deus dissensionis  
 pacis: Id est, non ejus, qui a con-  
 senti unitate defecerit. sed eorum  
 qui in consentiendi pace perman-  
 rint: Sicut in omnibus, inquit, Ec-  
 clis sanctorum doceo, id est, Catho-  
 licorum: quæ ideo sanctæ sunt,  
 in fidei communiione persistent  
 ne quis forsitan prætermittis ca-  
 ris, se solùm audiri, sibi soli credi  
 rogaret, paulò post ait: An à vo-  
 inquit, verbum Dei processit? aut  
 vos solos devenit? Et ne hoc  
 perfunctoriè acciperetur: adje-  
 quis, inquit, videtur Prophe-  
 aut spiritalis, id est, spiritualium  
 rum magister, summo studio ap-  
 litatis, & unitatis cultor existat.  
 scilicet neq; opiniones suas  
 præferat, & ab universorum sententia  
 non recedat. Cujus reimandata quæ-  
 gno-

ignorat, inquit, id est, qui aut nescita non discit, aut scita contemnit, ignorabitur: hoc est, indignus habetur, qui inter unitos fide, & exquatos humilitate divinitus respiciatur: quo malo nescio, an quidquam acerbius cogitari queat. Quod tamen juxta Apostolicam comminationem Pelagiano illi provenisse cernimus Juliano, qui se collegarum sensui, aut incorporare neglexit, aut excorporare praesumpsit. Sed jam tempus est, ut pollicitum proferamus exemplum, ubi, & quomodo sanctorum PP. sententiae congregatae sint, ut secundum eas ex decreto atque auctoritate Concilii Ecclesiasticae fidei regula figeretur. Quod quo commodius fiat, hic sit jam hujus Commonitorii modus: ut caetera quae sequuntur, ab alio sumamus exordio. Secundum commonitorium interlapsum est, neque ex eo amplius quidquam quam postrema particula remansit, id est, sola recapitulatio, quae & subiecta est.

E. 2

Reca-